PRO ILLVSTRISSIMO SACRI MEDIOLANENSIS SENATVS

PRAESIDE

IACOBO MAYNOLDO

VIRO INTEGERRIMO,

PHILIPPIQ; III. HISP. INDIARVMQ; REGIS, AC MEDIOLANI DVCIS, ETC.

CONSILIARIO A SECRETIS OCVLATISS.


Antonij Mariæ Speltæ Poetæ Regij

ENCOMIVM.



PAPIÆ, Apud Andream Vianum. M. DCIV.

Patrum non sine consensu.



IN HIS D. ANTONII MARIÆ SPELTÆ CARMINIBVS NIHIL REPERI CONTRA FIDEM, QVINIMO DIGNA SVNT, QVÆ PRÆLO DESTINATA, LVCIS IMMORTALITATE PERFRVANTVR.

D. Matthias Guarguantus Congregationis Cleric. Regul. SANCTI PAVLLI DECOLLATI Sancti Officij Papiæ Consultor Theolog.

Permittitur vt poſsit imprimi.

Fr. Thomas de Placentia Vicarius S. Officij Inquiſitionis Papien.





IN ANTONIVM MARIAM SPELTAM POETAM REGIVM, RHETOREM, ET HISTORICVM CELEBERRIMVM

POMPEII FERROTII LAVNAEI BITVRICENSIS

EPIGRAMMA.



VM clauo clauam, cum pelta SPELTA securim,
Cum facibus falces dicere solus obi.
Potus es Aonium quem concutit vngula fontem,
Vngula vel Peltis apta, vel apta Togæ.
Potus es exhaustis arescat vt alueus vndis,
Nam nec Phœbus aquas, quas benè potet, habet.

Præclara Ill^mæ. Gentis Maynoldæ Insignia.



INSIGNEM quam mille modis Insignia signant
Stirps MAYNOLDA Polo, Gens adamata Solo:
Dum studet Augustos Patriæ superare triumphos,
Nobilis estq, Sago, nobilis estq; Toga.

VIRO ILLVSTRISSIMO

IACOBO MAYNOLDO

SACRI MEDIOLANENSIS
SENATVS PRAESIDI
INTEGERRIMO,

PHILIPPI III. HISPANIARVM
REGIS ETC.

CONSILIARIO A SECRETIS
VIGILANTISSIMO.



VLLVS est, Præses amplissime, qui cum vniuersis Italiæ populis non admodum sibi lætandum sentiat, quòd ea in te sint ornamenta collata, Quæ virtus tua, & industria, ingenij præstantia, auitus splendor, & fumosæ Imagines suo quasi iure postulabant. Quinimò subsellia vsq; adeò ipsa gestire videntur; Quæ cum in tanto consessu Principem sint nacta, qui Herculis in togata militia labores exanthlasse dicitur. Quod omnes igitur faciunt, subterfugiam ipse? non gaudebo? non gratulabor? Cui præ cæteris exultandum. Non voce modò, sed scripto aliquo lætitiæ meæ declarandæ ingens cum mihi cupido incesserit, pro ingenij mei tenuitate Poema elucubratum vitalibus

auris mittere, & tibi, cui quicquid ex me proficisci potest, delatum opto, & debere non inficior, dicare constitui. Quod tibi sit interim pro arrhabone earum lucubrationum, quas grauiori studio elaboratas sub tuo nomine aliquando in lucem prodituras non despero. Vir es enim ea dignitate, humanitate, & virtute prœditus, vt tua meritò sanctimonia, & eruditio à bonis, & doctis, ac litterarum studiosis ametur plurimum, & colatur. Quare quæ tuæ fidei sunt commissa, & si per se minus digna videntur, ita insignia redduntur, vt in sui quandam trahant omnium oculos admirationem. Cumq; insuper priuata tua erga me beneficia, ac merita sanè non vulgaria extiterint, nihil est, quod malim, quàm & haberi me, & esse gratissimum. Nam liberalitas opulenti est non nunquam, at gratitudo iusti semper, & viri boni. Proh sancte Pater; quæ tua est humanitas, & clementia? cum nondum de facie notum amare dignatus fueris, incredibiliq; pietate haud planè merentem vltrò in tuam clientelam susceperis. Quod crebris, & liberalissimis mihi testatum voluisti litteris. Indies magis, atq; magis tuis adstringor meritis. Itaque tantum me tibi debere fateor, quantum à me absolui posse non sperem. Vtique egregia tua est virtus admirabilis, peneq; diuina. Pauci tuæ conditionis homines tecum sunt conferendi, qui in summis maximarum rerum occupationibus nunquam intermittis studia litterarum. Neque verò ipse modò libenter, ac multum in his versari soles, sed eos etiam, qui omne tempus in illis consumunt, & excellentis alicuius doctrinæ laudem aliquando sunt consecuti, gratia, fauore, & liberalitate prosequeris singulari: Neque vllum eos aut iuuandi, aut ornandi locum, occasionemq; prætermittis. Cum quibus quamuis neque doctrina, neque rerum vsu, neque exer-

citatione mereor comparari, ex Regali tamen curia omnibus me officijs pro benignitate tua auxisti; nullãq; omninò rem, quæ vel ad laudem meam, vel ad dignitatem, vel ad vtilitatẽ spectaret, omisisti. Quamobrem non ipse solũ, sed & nati natorum, & qui nascentur ab eis, nihil potius habituri sunt, nihil sibi magis præcipuũ ducent, quàm te prædicare, quam Maynoldã familiam tùm priuatim pleno ore efferre, tùm apertis, vt aiunt, tibijs decantare. Candorem illum tuũ lubentissimè, vt debent, omnes amplectuntur, inq; tuis virtutibus liberis velut habenis, & spatiosis eloquentiæ cãpis expatiantur, qui egregiorũ facinorũ Præcones ingenium tuum suspiciũt, & singularem doctrinã mirificis prosequuntur Encomijs. Præ cæteris autẽ HENRICVS FARNESIVS EBVRO, qui mentis acumine, & scientiarum varietate, ita est excultus, vt paucos admodum pares habeat, superiorẽ verò neminem. Etenim te omni obseruantia insignem, sapientia, & grauitate celebrem ita colit, vt qui te amant, & admirãtur, mira quadã iudicij constantia superare cõtendat. In quo quidẽ viro litterarũ omniũ supellectilem, qua nihil dignius, nihilq; pretiosius contemplans intellectus subtilitatem, differendi suauitatem, disputandi vehementiã plenè admirari nõ possum. Fatear necesse est; tantũ illius ingenij præstantiæ tribuo, vt ex omnibus, quos nunc temporis prçclarissimos iudico, huic vni in oratoria facultate palmam deberi certissimò mihi persuadeam. Quod reliquũ est, ne tẽ occupatissimũ pluribus obtundã, quicquid syncero Marte porrigitur, pro incredibili tua bonitate, & animi amplitudine, nõ vt munus, sed vt perpetuũ obseruantiæ in te meæ pignus accipias, rogo. Vale, & Speltã tuũ, qui submisso, & deuoto animo tuæ se excellẽtiç cõmendat, tuere, ac vt soles, protege. Papiæ Idibus Ian. M.DCIV.

T. Amplitudini humillimus, & quàm
maximè addictus

Ant. Maria Spelta.

PRO VIRO

ILLVSTRISSIMO AC INTEGERRIMO

IACOBO MAYNOLDO

EXCELLENTISS. SENATVS MEDIOLANI PRÆSIDE VIGILANTISSIMO

ANTONII MARIÆ SPELTÆ POETÆ REGII

ENCOMIVM.



SALVE magne Pater, cui non sublimia cessant
Sidera, quem refouet sacræ virtutis Imago,
Quem doctæ nisi laudis honos, et gloria tangit.
Cui læti arrident Patres, Ciuesq; beati;
Qui pater es Patriæ, spes expectata CREMONÆ,
Et cui procumbo ipse humilis, quem pronus adoro.

DVlce decus Maynolde meum, mea gloria salue.
Quid mea nunc cœlo attolli verearè Thalia?
Vel quid fastosæ censes aßurgere laudi?
Quandoquidem nostræ vatum non fama priorum,
Non meliore velit contendere gloria caestu.
Heroum verè soboles, & clara propago.
Omine cui applaudunt læto, auspicijsq; secundis
Numina, iam demum nostros dignatur honores;
Meq; inter Musas celebres, doctæq; Mineruæ
Otia, Dædaliosq; intra versarier ortus,
Egregiæ mentis monimentum nobile, et alti
Clarum animi officium permittit munere fausto.
DVlce decus Maynolde meum, mea gloria salue:
Ore mihi docto soluas JACOBE Camœnas,
Quæ tibi se faciles præbent, & grandibus ausis
Ipse Aganippæi sacrata in fluminis vnda
Demergar, siccoq; haustuCarpam ore beantes.
Eugè pater, cui deuotos dum molicr orsus
Rex fluit ad numeros fluuiorum, ac dulce susurrat
Eridanus; quin et TICINVS arundine garrit:
Et Nymphae ingeminant cantus, suauesq; susurros.
Aßistuntq, hilares in mollia blandimenta.
Hinc mea Melpomene articulo blandißima molli
Praetentat citharam, et plectris grauiore superbit
Increpuiße sono tumidos induta cothurnos;

Et

Et gratas grato mittit de pectore voces.

DVLCE decus Maynolde meum, mea gloria salue.
O felix patria, ò vrbs terq; quaterq; beata,
Quam Mauors, Pallasq; simul coluere benignis
Auspicijs, sophiae mater, pietatis alumna,
Artibus ingenuis clara, Augustissima sedes
Virtutum; cui pingue solum, cui prata virenti
Semper flore nitent, distillant nectare quercus,
Flumina lacte fluunt; cui semper lucidus aer;
Iam meritò intumeas, felix aequaris olympo.
Aurea Gens mecum recolas inuicta CREMONA,

DVLCE decus Maynolde meum, mea gloria salue.
Felix illa dies, totumq; canenda per orbem,
Quae tibi vitales cum primum traderet auras,
Contulit innumeras intrà tua pectora dotes;
Vt vix humana videaris stirpe creatus.
Tam festo, laetoq; die fumantibus aris
Thura, & odoratos spirantia balsama succos
Velati Palla ostrina prae diuite cultu,
Conspersiq; mola, & praecincti tempora sacra
Fronde salutemus iunctis ad sidera palmis
Heroum sobolem, & propensam in vota vocemus.

DVLCE decus Maynolde meum, mea gloria salue.
Hic puer egregius, quem culta modestia format,
Cui genus à proauis ingens, clarumq; paternae

Nomen inest virtutis, habet certissima libris,
Dogmata; discentes discendo præuolat omnes,
Et vix puber adhuc cognoscit semina rerum.
Summus amor sophiæ sedet alto pectore, Musas
Ausonias, Graiasq; colit grauitate senili.
Quæ sibi conueniunt, illas sibi postulat artes;
Ingenio præstat, præclarus fulmine linguæ
Et propria virtute sibi, proprioq; labore
Magnificas laudes, celebres & quærit honores;
Ingenium Cæleste tibi, cælestia cuncta.

DVLCE *decus Maynolde meum, mea gloria salue.*
Docte puer, sacri sensus cui conscia iam mens
Heroi est animi, & Patriæ virtutis anhela.
Miratur Pater ingenium, miratur & artes;
Et præmaturas vires, & suauia dicta.
Nil mirum; vir docte tibi contingit auita
Dos, hæres generis, sacri quoq; muneris auges,
Quod natura dabat studium perfectius auges,
Munera Gymnasii expertus vestigia patris
Obseruanda premens, sancti penetralia iuris
Qui benè discußit, legum mysteria nouit,
Fallendiq; artes sublata ambage retexit,
Et patriæ firmum columen protector & æqui,
Iustitiam cæco produxit carcere in auras.
Dictus honos doctis, statio tutißima Musis.

Dulce

DVLCE decus Maynolde meum, mea gloria salue.
Quodq; magis mirum, miremur acumen, & artes
PARTHENIÆ matris, potis in miracula cunctos
Ducere quæ fuerat, fuerat cui copia fandi;
Cecropijs, Latijsq; modis doctißima, voces
Sueuerat adstrictas in nodum cogere. Cedant
Huic & Romulidæ, doctæq; Pelasgides omnes.
Nam Decus Insubrum, Galarato è sanguine creta
Fœminei splendor sexus, spectanda choriq;
Maiestas muliebre genus superauit amicta
Relligione, graui eloquio, Charis addita quarta,
Pectora casta gerens vultu veneranda pudico.
Sed faciles mores, vitam quis labe carentem,
Corporis aut animi dotes celebraret? in aurem
Musa mihi stillet, quo dignè prosequar altum
Vsq; genus feriens sublimi vertice Olympum.
DVLCE decus Maynolde meum, mea gloria salue.
Cumq; Aquilæ fœtus non poßit degener esse,
Et virtutis honos, et auitæ gloria famæ,
Et lepor, et mentis fecundae gratia mouit.
Ingenij quoq; mouit amor, studiumq; politi.
Ergò per aestatem, per frigida tempora brumae,
Quin & dum partes remearet quattuor anni
Phœbus lustrando radijs lucentibus orbem,
Semper in expansas immisit lumina chartas.

In studijs tolerare gelu, tolerare calores
Suaue fuit puero, qui obduxit pectora callo
Socratico, ad culmen quò posset scandere legum.
Romula cui Graiae Pallas coniuncta Mineruae
Quodq; Plato peperit, quod Aristotelesq; notauit,
Affixus libris lustrauit acumine sensus.
Cui nitor accedit, multis è millibus vnum
Hinc non inuenias cui par, ac aequa potestas
Sermonis fuerit Latij his in mollibus annis.
Incoeptos igitur meritò repetamus honores.
D*VLCE decus Maynolde meum, mea gloria salue.*
Quae virtus, habitat summi ad fastigia montis
Carpsit iter, nil & tàm durum, tàmq; molestum
Quiuit ab egregio iuuenem depellere cœpto.
Penè puer titulos, & magni Regna PHILIPPI
In tabulis cedro dignis, Tulliq; politis
Pumice conclusit, de docto pectore doctum
Misit opus, memorans & prima ab origine Reges
Austriacos, quibus, et proprios iniunxit honores.
Libera qui pedibus texens haec scripta disertè
Non patriam modò, non Italos, non denique solùm
Hesperiam colit extremam, sed curat vtrunque
Demeruisse polum; sic India tosta remugit:
Dexteritate pari qui nam scripsere triumphos
Excelsi Regis nulli ditione secundi?

Te celebrant populi, hinc quanto decet ore, canuntque.
DVLCE decus Maynolde meum, mea gloria salue.
Qui vel Ephebus adhuc, vix pubescente iuuenta
Ad iuris studium, quo non illustrius vllum
Appellit mentem, per commentaria, per tot
Auctorum scripta, & monimenta carentia fine.
Et per Pandectas, Pelagus transire necessum
Non fugit immensum, Titulos solersque per omnes
Currit, & obseruat, quae in Codice, perque Rubricas
Conspicitur dignum, cum Baldo Bartolus, et quae
Edidit, ac Paullus, vel Jason scripsit, & Abbas,
Nouit, et ad culmen sacrarum scandere legum,
Nouit et ad meritae properare insignia Lauri.
Praemia, quae legum Griphi, Mysteria iuris
Digna parant; clarusque Toga, insignisq; corona
Jnde salutatur studiorum Matre CREMONA.
DVLCE decus Maynolde meum, mea gloria salue.
Jntereà tanti toto diffunditur orbe
Candida fama viri mentes hominumque capeßit
Qui Tabulas, Decreta, Vices, qui Iussa Senatus,
Pontificumque tenet mentem, qui Caesaris almi
Sensa recognoscit, Patriae gratißimus, illa
Mittitur Orator SPHONDRATI ad sācta GREGORI
Limina, cui doctè tantum gratatur honorem;
Qui dictis vehemens cum dulcia solueret ora,

Eloquio suaui vultus, auresque tenebat
Pontificis. Cedit MAYNOLDO gratia Mellis
Nestorei, gestis mirus, qui mirus et ore
Sublimi permulta refert; nec dignius vnquam
Maiestas meminit se se Romana loquutam.
Pulcher honos, et digna tuis Natalibus ora
DVLCE decus Maynolde meum, mea gloria salue.
Iustitiæ consors hominum Pater, atque Deorum
Inuitans pretijs animos, et præmia ponens
Instantes quorum titulos sub pectore vertit
Aduocat in Patres, tanti non parua laboris
Merces, & Croesi rutilo rutilantior auro.
Nam MEDIOLANI CAROLO dignusq; PHILIPPO
Illustrare suo meruit splendore Senatum;
In quo nec quisquam melior, nec amantior æqui
Quem Leges, quem ius, mores, quem forma decori,
Quemq; fides constans, Pietas, Reuerentia veri
Constituisse gradu tanto potuere. micabat
Regula Iustitiæ, qui maiestate retenta
Omnibus indulgens, Cunctis placuisse studebat
Pro ratione pari doctrinæ lumine clarus,
Integer et custos recti, seruator honesti
Asperitate carens, positoq; per omnia fastu
Comis, & Vrbanus sibi conciliabat amorem;
Inde Colebatur sublatus ab agmine laudum.

Dulce

DVLCE decus Maynolde meum, mea gloria salue.
Vt fuit in fines patrios PAPIÆ alma vocatus
Gloria BRVGNOLVS, MAYNOLDO tradit habenas
Italiæ Sanctum Praeses lustrare Senatum
BARTHOLOMÆVS adit, lætas IACOBVS in oras
Hesperiæ tendit non tanto incognitus Orbi.
Mille modis felix Regio, felicior omni
Imperio, Basis Imperijq; HISPANIA sacri
Excipit; Irradians Titan splendore coruscat
Concilio sophiæ in supremo Lampas inardet
Doctrina praestans, praestans & fulmine linguae
Differit, exagitatq; immensa negotia, tractat
Quæ nouus Arpinas facundo Tullius ore
Discuteret nunquam, nostri consulta Senatus
Proponit, Patrum responsa examinat altè
Consilioq; grauis sensus supereminet omnes.
Quanta Numae fuerat Recti reuerentia, tanta
Huic, mens casta viro fuit, & syncera voluntas
Longus & ipse vsus rerum comitatur, & aetas,
Ius quoq: dum dicit terras Astraea reuisit.
Hunc omnes mecum laeti clamore salutent.
DVLCE decus Maynolde meum, mea gloria salue.
Ast vbi grandis honos PAPIÆ, expectatus Olympo
Clausit in æternum BRVGNOLVS lumina somnum,
Alite felici terris MAYNOLDVS Iberis

En MEDIOLANVM remeat PRÆSESQ; Paterq;
Spectatae vel Norma Togae, pars prima Senatus,
In quo Summa sedet rerum, ius omne recumbit.
Ecce quid accensa prosit vigilasse lucerna,
Et quid amasse modos Musarum, pectore curuo
Consenuisse libris, quanti faciendus in Arce
Palladia labor. O pretium virtutis opimum,
Quae nec habet pretium, ò digna, ò pulcherrima merces;
O nimium verax, ò non mentita Sibylla,
In mea vota Tripos verax, ò Numen amicum,
Sidera cui cœli arrident, parere recusat
Cui nihil, ò felix, ò fortunata CREMONA,
Expectata tibi cessit iam Gloria faustè.
Vrbs nata Imperijs, ò & Gens aurea Mundo,
Gaude, nam felix votum es sortita beatum,
Atque tibi laetè approperant felicia saecla.
En Decus optati aeui iam noua parturit aetas,
Plaudite vos Ciues, et io bis dicite laeti,
Plaudite, io, cantemus io, simul omine fausto.

DVLCE *decus Maynolde meum, mea gloria salue.*
Nec minus exultans pra tanto PRÆSIDE gaude
Vrbs MEDIOLANVM nulli splendore secunda,
Diuitijs nulli, moles super aethera nota,
Vrbs admiranda, vrbs, quae magnificentior omni
Et Patria, et populo surgens ab origine prima

Moenia

Moenia lata videt valido circundata muro.
Hanc decorant Parij lapides, Portaeque superbae,
In quibus effigies rerum, speciesq; notatae.
Tecta Augusta patent Regali splendida Gaza,
Templa colunt populi de marmore structa superbo.
Auratis statuunt laqueata palatia tignis,
Hic domus excrescens elata cacumine nubes
Vincit, & aerias certat transcendere nubes.
Vallaq; constituunt tornatae marmore crustae;
Arces consurgunt solidis cum turribus, altis
Aequari vt credas stellis; discumbitur Ostro,
Nam cunctis opibusq; potens; & diuite censu
Munera magnificè larga diffundit ab arca.
Sunt MEDIOLANI mira omnia, copia Rerum
Innumerae, cultaeq; Artes, facunda virorum
Ingenia, ingenui mores; quas Africa gignit
Hic Gemmae, lapidesq; micant, viridisq; Smaragdus
Absintusq; ardens, et Onyx, Sapphirus, Achates,
Carbo scintillans, & inaequales Berylli.
Aureus hinc torques, niueumq; monilia collum
Exornant, hic tota suos Natura labores
Ad cultum, & dotes posuit. Vos promite cantu,
O' ciues pleniq; iocis, risuq; repleti.

D*VLCE decus Maynolde meum, mea gloria salue.*
Vos, quibus Omnipotens, alti moderator Olympi

Laeta fronte fauet, tanto consurgite Patri.
Primus hic et Patrum, quo PRÆSIDE nomen ab Auro
Saecula nostra trahunt, Princeps cordatus & omni
Arte vigens, cui mens rara, & sapientia summi
Regis, & huic probitas, huic mores, huicq; venustas
Vt se felicem quisquis iam credat in eius
Praesidio esse, putet longaeuam ducere vitam.
Nil MEDIOLANVM tibi non sperare licebit;
Cum pia sit virtus, ingens clementia nostri.
PRÆSIDIS, infestos causis componere ventos,
Et tempestates vitij mollire sonantes
Eius erit. Festis Festi redimite Corollis
Vos sublime caput, sublimi vertice Cœlum
Tangentes, totidemq; Comas præstringite sertis.
Occurrat plaudens portis effusa iuuentus,
Et laeto resonent resonantia verba susurro:
DVLCE decus Maynolde meum, mea gloria salue.
Tu, qui Iustitiae validas moderaris habenas,
Exultans gratare tibi, gratareq; fratri.
O' fortunati quibus omnipotentis Olympi
Dexter adest fauor, excelsos virtutis honores.
Gens MAYNOLDA tulit, nimirum dicere posses,
Collucere faces, animisque fugare tenebras
Inscitiae, peperit quos haec generosa Propago.
Quanta animi virtus, quantum tibi mentis acumen,

Inge-

Ingenij quantum, dignè quis promat HORATI?
Quae facis, illa probant nullo moritura sub aeuo;
Magna etenim de te rumor praeconia fecit,
Trans mare, trans terras, toto celebraris in orbe;
Qui non absimilis Germano maximus Heres
Me satis, atque super ditasti munere grato.
Jmmemor haud fuero; tanti nec gratia facti
Dispereat, patiar, grato sed pectore soluam.
DVLCE decus Maynolde meum, mea gloria salue.
Inter & Hispani florentes aere cateruas
In Belgas Regis superasti nomen Auorum
Auditor. virtus animi generosa, vel amplae,
Ingenij dotes veluti quæ fulget ab alto
Vertice lux, radiant, felix dum scandit in altum
Occupat Augustos aditus (quòd in ardua virtus
Tendat) & angusto cohibet vestigia calle,
Immensos toleras virtutis amore labores.
Munere nec tanto attritus, vel mole negoti
Preßus, & indomitus curis, non aure retorta
Exequeris partes summa probitate sequendas;
Magnanimi Proceres, et amant, Heroes et almi
Obseruant, meritosq; simul comitantur honores.
DVLCE decus Maynolde meum, mea gloria salue.
Sed tua quum solido fulgore micantia verba
Allobrogum mirè doctum mulsere Senatum

Nun-

Nuncius è Patria potuisti implere serenas
Aures, Connubio felici aßistere nutu;
Sacra Ducis CAROLI, et CATHARINÆ numina cœli
Quae sata de gente Austriaca, quae magna Virago
Corporis, ac animi dotes excelluit omnes,
Suffusus Minio, & plenus grauitate docebas,
Quae mea non sperat meritis attingere Musa
Vocibus; Enumerat dignè longaeua RAVENNA,
Ad cuius clauum vigilans Proreta, peritus
Atque Gubernator sedisti, Laudat Agerq;
Picenus; Populi celebrant, quos Prætor, et aequus,
Iudex et iustus tranquilla in pace regebas.
Inde resurgebat magnum, & memorabile nomen,
Æternum sic te dignißima fama manebit.
D*VLCE decus Maynolde meum, mea gloria salue.*
O' Equitum praesignis Eques clarißime IVLI,
Cuius vtrique polo resonant illustria facta,
Iam simul ingenti celebres noua gaudia plausu,
Nescio qua praeter solitum dulcedine laetus
Aspice quid faciat virtus, quid numina poßint;
Attalico luxu Domus en MAYNOLDA renidet,
Parietibus demissa altis aolaea micantq;
Perq; vias, & aperta domus penetralia Celsae
Æmula collucent aulaeis strata Tapeta.
Multifores Buxi resonant, et eburnea plectra

Argu-

Argutam feriunt citharam, fidibusq; canoris
Mirè nostra cient in dulces pectora cantus.

DVLCE *decus Maynolde meum, mea gloria salue.*
Tot bona fert ora veniens Germanus Ibera,
In summum euectus solium, sedemq; supernam,
Quo Duce tuta ratis constabit Remige firmo,
O' vigil, ò felix Palinure, ò Nauta fidelis.
Cui tam blandus honor, sua cui cum pondere virtus,
Improba quem nec spes, nec iniqua potentia mutat;
Hunc titulis adiunge tuis, cui gloria certa
Cui comes it tensis semper victoria velis.
Hinc sua laus Marti est, & habet sua præmia Robur
Gallus te metuit, miratur Iberus, honorat
Inuicta qui te miscentem prælia dextra,
Agmina te quamuis circum glomerata videbat.
IVLIVS es CAESAR, Caput insuperabile bello,
Armipotens MAYNOLDVS ades, violentus in armis
Impauidos cui non Decios, fortesue Metellos
Prætulerim, non qui Pœnum domuere ferocem
Scipiadas; hinc magna refers à Rege PHILIPPO
Munera virtutem testantia, robur & ingens.
O' felix Maynolda Domus, generosa propago,
Quæ tàm Marte potes, quàm Pallade docta resurgis,
Maximus ille Toga, fulges tu Maximus Armis
Et super is titulos, & auitæ laudis honores.

DVLCE *decus Maynolde meum, mea gloria saluè.*

Maxime Mœcenas magnis decorate trophaeis,
Quem Charites aluere sinu, Natura benigna
Excoluit meritò cunctis et dotibus almae
Aonides sacra cingunt cui tempora lauro,
Lumen & Ausoniae, sancti firmumq; Senatus
Praesidium, atq; vigens oneri firmissimus Atlas
Quae mea Melpomene tribuit Pater aspice clemens;
Aurea non possum tibi tradere munera, munus
Hoc, quae serpit humi, misit submissa Thalia
Munere tu dignus cum sis maiore merenti
Mittere SPELTA nequit, paruo pro munere gratur
Accipias animum, quo maius tradere nullus
Possit; Opes quamuis tibi, deliciasq; ministret.
Sublatus solio deducta fronte modestus,
Pompam dissimulans, merita nec tangeris aura.
Mundanos fastus et qui contemnis, amasq;
Virtutes animi, manifestum pignus amoris
Excipe, & occurrens in SPELTÆ vota secundis
Auspicijs SPELTAM felici protege nutu;
Nec me de populo vt quendam contemne, Poeta
Vt vilis, pauperq; simul sim, gratus in omne
Tempus ero, præsensq; tibi famulabor, & absens.
Intereà Pater alme boni rogo consule, & aequi
Quae dedimus, felix Vitalia vinceq; saecla.

DVLCE *decus Maynolde meum, mea gloria viue.*

CREMONA MATER loquitur.




Mphitryoniaden, validis qui viribus orbem
Purgauit, Thebæ vel super astra ferant.
Hectora, qui gladio ancipiti, teretiq; sarissa
Protexit muros Ilion & celebret.
Nescijt inuictus saeuo qui cedere Marti,
Æacidenq; probet Theßalis ora suum
Atq; Draco, iustusq; solon venerentur Athenis,
Sit Lacedemonijs lege Lycurgus honos;
Roma Numam, Fabios, Decios, fortesq; Metellos
Tollat, Scipiadas; Fabritios, Curios.
Jndia suspiciat Brachmanas, laudet Iarcham,
Vtq; Magos Persae, Gallia sic Druydas.
Numen Alumne mihi fueris Maynolde, Cremona
Auspicijs viuam Terra beata tuis.
Auspice te Italicas inter latè efferor vrbes,
Auspice te Cœlum vertice ego feriam.
Hinc Iacobe tuum fuerit memorabile nomen,
Teq; appellabo iure Patrem Patriae.



PINTIA LOQVITVR.

NVLLVS ab Italia Hesperias accessit ad oras
Par Maynolde tibi moribus, ingenio.
Grata, memorq; tui laudes, & grandia facta
Dum fluet, extollam, diuitis vnda Tagi.
Viue diu, cui grandis honos, nec terminus illi,
Signentur certa cum tua gesta nota.



ME-

MEDIOLANVM LOQVITVR.



Vid Mediolani resonat clangoribus aether?
Quæ noua vel populum numinis oestra mouent?
Exultans quid tanta cohors per compita currit?
Cur sacra grates soluit in aede Deo?
An quia de Coelo rediit Maynoldus Ibero?
Atq; Pater patrum iam loca prima tenet?
Nimirum mens alta vigens, alta omnia lustrat,
Cui nutu vnanimi Numina cuncta fauent.
O' non humanum ingenium, nec numinis expers,
Prudentis cui vis, tantaq; consilij.
Vrbs propera felix, fias illi obuia, iam, iam:
Prima venit sancti gloria Concilij.
Omina certa polo firmata fuere corusco;
Partitur nostro lumina clara solo.
Compita laeta Crocos oleant, et suauius halent,
Cum Violis forment pendula serta Rosae.
Vrbs mea te in risus, redeuntia in ocia soluas,
Spes tibi iam certae certa quietis adest.
Iustitiae ecce venit Maynoldus filius, aequi
Protector, Sophia qui micat altus Adad.

Insubres gaudete viri, pallescite chartis
Italici vates, extera lingua quibus.
En Maecenatem reducem cognoscite vultus
Humanos, vobis qui bona tanta ferunt.
Maiestas surgat magno concessa Maroni,
Orator surgat nec Cicerone minor.
Nostra nec antiquis concedant tempora saeclis,
Omine cum nobis omnia fausta cadant.
Cernite iam tanti præsentia Numinis ora.
Et voces laeti discite nectareas.
Maecenas prisco tu qui contendis honori,
Nomine tam raro, splendidiore modo.
Macte animo ingenti, macte atq; ingentibus ausis,
Maxima cui virtus pectore multiscio,
Et quem non fastus, nec gloria tangit inanis,
Respice iam Populi pignora grata tui.
Qui quoq; fortunas tam gratam Comminus Vrbem,
Hos recreas ciues dexteritate tua.
Perpetuus Maynolde tuis blandire poetis,
Fama quibus per te maxima semper erit.






PAPIA LOQVITVR.


VRbem, quam Noe statuit, fundauit, & alta
Moenia, cui leges fatidicusq; dedit;
Quæ bello Thebas, quæ sensu dicor Athenas
Vincere, quae Regum, quae Domus atq; Ducũ
Clara Toga insignisq; sago Longaeua Cremona
Heroas miror, quos paris, atq: foues.
Immensis quorum meritis assurgere cogor
Ex animo, peragant cum nisi digna Deo.
Hos inter quantum terras qui lumine lustrat
Praeradiat stellis signa minora suis,
Tu tantum Maynolde micas amplissime præses
Doctrina, eloquio, dexteritate, fide.

Cognita sic Regum Regi tua fama PHILIPPO
Sancti Concilij te caput instituit.
Hoc syncera fides; mens candida, pectora firma,
Hoc petit et pietas, quae sub amore nitet.
In miseros propensa manus; longè exulat vnde
Illa Auri rabies vertere cuncta potis.
Odisti bella, & rixas, Pater esq; quietis
Gloria, & hæc de te fama superstes erit.
Gaudete Insubres tanto sub Præside lites
Cessabunt tristes, flebile dissidium.
Vrbs ò ter felix, felix generosa CREMONA,
E' Cœlo cuius tot bona proueniunt.
Grande quidem meritum, terras Astraea reuisit,
Iam nostras per te, cessit et omne nefas.
Quid non magne MADI sperem Prætore benigno
Te? qui cordato pectore iura tenes.
Magnorum qui certa refers monimenta virorum,
Et cui per sophiam ritè perennat honos.
Nomine quo digno, quo te iam nomine adorem,
Cui virtus nullo fracta labore fuit?
Si sua laus æquo est, & habet sua præmia Rectum,
Si sanctum est proprijs quenq; nitere bonis,
Digna satis quæ sint tantae tibi nomina laudis
Magna Cremonensis Gloria, honosq; soli?

Quae

Quae tecta inuolucris fuerant, aenigmata legum
Soluis, quid deceat Tu LODOVICE doces.
O quem casta fides potius quàm verba soluta
Delectat, PAPIÆ respice vota tuae.
IVLIVS accedit Quaestor, cognomen, & omen
TVRRE trahens omni TVRRIS adaucta bono.
Integer et custos recti, seruator et aequi,
In factis Fabius, Consilijsq; Cato.
Corporis, aut animi sed quis, dic, Doctor IVLI
Jnnumeras dotes dinumerare potest?
Abdita qui reseras sancti penetralia iuris,
Illustres titulos promeruisse probas.
Felices ò nos igitur, qui tanta CREMONA
Commoda suscipimus, fœdera amicitiae
Tu Papiae MAYNOLDE piae pia vota secundes,
Quae te cum Patria tempus in omne colet.



In Illustrissimum

IACOBVM MAYNOLDVM

AMPLISSIMI SENATVS MEDIOLANI PRÆSIDEM

Bernardini Collæ Presbyteri Papiens.

CARMEN.



V *tibi, quos faciles rexisti nuper Ibero*
Regius Orator, Præses honore solo.
En tibi subsidunt Populi, te fronte serena
Excipiunt passim, Te MAYNOLDE ferunt.
Verius immo noua Mundo ratione triumphas,
Spectator tantæ laudis & Orbis adest.
Purpureo veheris curru mirandus honoris
Sint, Astræa, Fides, Pallas, Equi, probitas.

Ast

Ast vbi sunt captiq; Ducis, deuictaq; bello
Regna? triumphator cernitur ista minor.
Est inimicus Amor nobis vesanus habendi,
Otia, frausq;, Doli, tetra libido, scelus.
Insidijs hæc vsque petunt rationis opima
Regna, vocant Dominam semper ad arma piam
Indomitis semper pugnasti viribus Heros,
His alacer victor monstra superba domans.
Cingeris et lauro, spolijs es onustus adauctis
Miles io, clamat; Cætera pompa subest.
Miles, fama canens te, laudes, laurea, honores
Sunt spolia, hinc iustis quæq; parata modis.
Cerne virum plausus, populorum cerne triumphos
Vixq; satis titulis pompa stat ista tuis.
Maiestate nitens tali perduceris ædes
Gloriæ ad æternas, Vrbis, et Orbis honor.
Ergò triumphantem tali ratione per orbem
Te Maynolde canet summa, recensq; dies.
Talis in antiquis micuit num pompa triumphis?
Æthereo tanti virne sub axe fuit?
Immortale Noti iam tollite nomen ad astra,
Tanta vel et solis progrediantur iter.
Plurima cum decorent sed te dignißime Praeses,
Attamen es titulis clarior ipse tuis.

IN ANTONIVM MARIAM SPELTAM POETAM REGIVM.



Bernardini Collæ Presbyteri Papienſ.

ELEGIA.

*PELTA, tibi ſtudeo formoſa laude Coronam*
Texere, ſic Muſa carpor at inde mea:
Tunè rudi vatem dignè cantaris Auena
Regalem? Speltæ Carmina ritè feres?
In quem Pierides vix audent tollere vocem,
Cuiq; Ducis noſtri vix chelys apta ſatis.


Dulce.

Tunè voles tenui cœlum describere velo?
Num Cyatho vastum claudere stulte fretum?
Desine; qui nimium contendit ad alta superbus,
Sæpè cadens patitur damna pudenda miser.
Desine: qui sumit temerè non viribus apta
Pondera, ponderibus subiacet ipse suis.
Dum regit audaci Phaeton male nota lacerto
Lora, fuit rapidi fabula nota Padi.
Ausus inaccessos solis percurrere tractus
Icarus, en salsis contumulatur aquis.
Estq; labos maior per latos pergere campos,
Quà decus est Spelta consita lausq; mei.
Respice si cantat, cantare videtur Apollo,
Si loquiturq; Pater Tullius ipse loqui.
Plurima quid referam nullos tribuenda per annos
Nemine? Spelta Charis, Pallas, Apollo, Cato.
Spelta Poetarum decus est Candentis Alumnus
Eloquij. Spelta est totius Vrbis Honor.
Desine; stultitia est penitus tentare negata,
Nec desiderio ponere fraena suo.
Desine; nam melius præconia tanta colantur
Ore silente, fidis quàm crepitante sono.
Sisto quidem dixi, vatis miratus honores,
Quæque illi Hispanus Rex sacer ipse dedit.

Sic longè hunc ſequere, & veſtigia ſemper adora,
Seu potius vates, ſeu peregrinus eris.
Non habuit nam priſca parem, nec proferet aetas
Poſtera iam ſimilem, talia fama canit.

Eiuſdem de eodem.

QVis nouus hic vates? quò ſaepè canente Sorores
Obſtupuere nouem? Phoebe Minerua tulit.
Non mortale ſonans, SPELTA eſt, reſpondet Apollo,
Empyrei terris miſſus ab arce Poli.
Armonicos doceat numeros, vt mobilis aethra
Vnde pium quiſquis diſcat amare Deum.
Vincimur, exclamat SPELTÆO Carmine Pallas
Aonides, Clarius vincor & ipſe ſimul.



INDEX

INDEX RERVM NOTABILIVM.



A


ADAD. 29
Achilles Heros inuictiſs. 27
Ant. Mar. Spel. Illuſtriſsimo Præſidi ſe commendat. 26
Ant. Mar. Spel. Illuſtriſſimo Præſidi incolumitatem perpetuam precatur. 26
Athenienſes à quibus leges habuerint. 27
Ant. Mar. Spel. ob Iacobum Maynoldum inter Poetas Illuſtris. 12
Ant. Mar. Spel. hanc dignitatem Illuſtriſsimo Maynoldo in Hiſtoria ſua prædixit. 20
Ant. Mar. Spel. Poeta dicitur Regius. 36
Ant. Mar. Spel. honorario decoratur Regio. 37
Auctor lætitiam affabrè oſtendit. 13
Aurum cuncta mouere poteſt. 32

Bar-

B

Bartholomæus Brugnolus in Patriam reuocatur. 19
Bartholamæus Brugnolus Ticini ſplendor, & gloria. 19
Bartholamæus Brugnolus Senat. Mediol. Præſes. 19
Bartholomæus Brugnolus Papiæ honos. 19
Bartholomæus Brugnolus ex hac vita diſcedit, 19
Beneficentia Præſidis in Auctorem. 9
Benignitas Illuſtriſs. Præſidis in Auctorem. 8
Bernardinus Colla Illuſtriſsimum Præſidem laudat. 34
Bernardinus Colla Ant. Mar. Spel. laudat. 36
Bernardini Colliæ de Spelta Epigramma. 38
Brachmanæ Indiæ ſapientes. 27

C

CAtharina Auſtriaca laudatur. 24
Comparatio elegans. 31
Cremona & bello, & pace clariſſima 13
Cremona ſapientiæ mater. 13
Cremonenſis ager fertilis. 13
Cremona Auguſtiſſima. 13
Cremona Ciuitas inuicta. 13
Cremona laudatur. 13
Cremona glorioſſima Ciuitas. 20
Cremona Iacobum Maynold. laudat. 27
Cremona antiquiſſima. 31
Cremona Ciuitas generoſa. 32
Cremona multa commoda nobis impertit. 33

Druydæ

D

DRuydæ Gallorum ſapientes. 27
Decij. 27

E

EX Hiſpania Iacobus Maynoldus Italiæ Rector ad Spel-tam humaniſſimas litteras mittit. 8

F

FAbij. 27
Fabritij. 27

G

GEmmæ cuiuslibet generis Med. 21
Gratitudo eſt viri boni & iuſti. 8
Gratitudo Auctoris. 8

H

HEctor Troiæ defenſor. 27
Henricus Farneſius laudatur. 9
Henricus Farneſius omnium ſcientiarum ſupellectilem habet. 9
Henrico Farneſio oratoria debetur palma. 9
Henrico Farneſio Ant. Mar. Spelta plurimum tribuit. 9
Hercules Orbem purgauit. 27
Hiſpania laudatur. 19
Hiſpania Chriſtianæ religionis propugnaculum. 19
Hiſpania Romani Imperij baſis. 19
Hiſpania Regio felix. 19
Horatius Maynoldus Iuſtitiæ Præfectus. 22
Horatius Maynoldus toto celeberrimus Orbe. 23

INDEX RERVM

Horatius Maynoldus in Speltam benignus. 23
Horatius Maynoldus Auditor apud Belgas. 23
Horatius Maynoldus à principibus amatur. 23
Horatius Maynoldus à Patria ad Sereniſſimum Sabaudiæ Ducem nuncius mittitur. 24
Horatius Maynoldus ſumma grauitate apud Sereniſſimos Sabaudiæ Principes agit. 24
Horatius Maynoldus Rauenæ Gubernator. 24
Horatius Maynoldus Iudex, & Prætor in Agro Piceno. 24

I

IAcobus Maynoldus iure merito Præſes. 8
Iacobus Maynoldus humaniſſimus. 8
Iacobus Maynoldus beneficus erga Speltam. 8
Iacobus Maynoldus ab omnibus amatur. 9
Iacobo Maynoldo numina ſacra fauent. 11
Iacobus Maynoldus Cremonam beat. 11
Iacobi Maynoldi dignitate nihil eſt, quod non geſtiat. 12
Iacobi Maynoldi pueritia. 13
Iacobi Maynoldi nobilitas. 13
Iacobus Maynoldus ad dicendum facilis. 14
Iacobus Maynoldus diuinitatem quandam præ ſe fert. 13
Iacobi Maynoldi adoleſcentia. 14
Iacobus Maynoldus & Græcè, & Latinè inſtructus. 14
Iacobus Maynoldus eloquens. 14
Iacobus Maynoldus à Patrio ſplendore non degenerat. 14
Iacobus Maynoldus patris inſiſtit veſtigijs. 14
Iacobus Maynoldus ſtudioſus. 15
Iacobus Maynoldus in ſtudijs patiens, & aſsiduus. 16

Iaco-

Iacobus Maynoldus ſermonis candore conſpicuus. 16
Iacobus *M*aynoldus labores contemnit. 16
Iacobus *M*aynoldus adoleſcens de Titulis Philippi Regis Opus egregium edidit. 16
Iacobus *M*aynoldus à populis colitur. 16
Iacobus *M*aynoldus legibus operam dat. 17
Iuris ſtudium illuſtre. 17
Iacobus *M*aynoldus infula inſignitur doctorea. 17
Iacobus *M*aynoldus in vtroq; iure verſatiſsimus. 17
Iacobus *M*aynoldus Orator ad Gregorium XIV. à Patria mittitur. 18
Iacobus *M*aynoldus coram Pontefice *M*aximo egregie ſe habet. 18
Iacobi *M*aynoldi in dicendo ſuauitas. 18
Iacobus *M*aynoldus Senator creatur. 18
Iacobus *M*aynoldus in Senatu, vt ſol inter aſtra fulget. 18
Iacobus *M*aynoldus Iuſtitiæ amator. 18
Iacobus *M*aynoldus humanus, & ſuauis. 18
Iacobus *M*aynoldus in Hiſpania mirus. 19
Iacobus *M*aynoldus in Hiſpan. Concilio excellit. 19
Iacobus *M*aynoldus iuſtiſsimus. 19
Iacobus *M*ayn in Hiſpaniam Inſubriæ Rector tendit. 19
Iacobus *M*aynoldus Præſes Senat. *M*ed. creatur. 20
Iacobus *M*aynoldus æquitatis amicus. 25
Iacobus *M*aynoldus litteratorum *M*aecenas. 26
Iacobus *M*aynoldus Italiæ lumen. 26
Iacobo *M*aynoldo Ant. *M*ar. Spel. ſubmiſsè opus ſuum offert. 26
Iacobus Maynoldus mundanos faſtus abhorret. 26

Iarchas Philoſophorum Indiæ Princeps. 27
Iacobus Maynoldus Patriæ pater. 27
Iacobus Maynoldus Iuſtitiæ filius. 29
Iacobus Maynoldus in miſeros pius. 32
Iacobus Maynoldus à Philargyria abhorret. 32
Iulius Cæſar Maynoldus Eques clariſſimus. 24
Iulius Cæſar Maynoldus Eques maximè ſtrenuus. 25
Iulius Cæſar Maynoldus Eques à Philip. Rege muneribus honeſtiſſimè donatur. 27
Iulius Turrianus Quæſtor laudatur. 33
Iulius Turrianus honeſti ſeruator, & æqui. 33
Iulius Turrianus in vtroq; iure expertiſs. 33

L

LAcedæmonijs quis leges dederit. 27
Liberalitas viri eſt opulenti. 8
Lites ſub Illuſtriſſimo Præſide Maynoldo ceſſabunt. 32
Ludouicus Madius Senator ęquiſſimus. 32
Ludouicus Madius prætor laudatur. 32
Ludouicus Madius omni ſcientiarum genere perfectus. 32
Ludouicus Madius Cremonæ decus, & gloria. 32

M

MAgi Perſarum ſapientes. 27
Maynolda Domus triumphat. 24
Maynolda Domus & litteris, & armis clara. 25
Mediolanum Ciuitas nulli ſecunda. 20
Mediolanum diuitijs abundat. 20
Mediolanum vrbs mirabilis. 20

Medio-

Mediolanum vrbs à primordijs rerum. 20
Mediolanum Illustrissimum Præsidem laudat. 29
Mediolanum Maynoldi Illustrissimi aduentu exultat. 29
Mediolanum Oratores, &. Poetas in Illustrissimi Præsidis laudes excitat. 30
Mediolanum Vrbs fortissima. 21
Mediolanum Vrbs ædificijs superba. 21
Mediolanum Vrbs opulentissima 21
Mediolani ædificia admiratione digna. 21
Mediolani Arx inexpugnabilis. 21
Mediolanenses magnifici. 21
Mediolanenses ingeniosi. 21
Mediolanenses ingenui. 21
Mediolanum omnium artium officina. 21
Metelli. 27

N

Numa 27

O

ORator eximius Iacobus Maynoldus. 34
Omnia mala odit Iac. Maynold. 35

P

PAPIA Illustrissimum Præsidem laudat. 31
Papia à Noe condita. 31
Papia Thebas vincit. 31
Papia Athenas superat. 31
Papia Regum sedes. 31
Papia Ducum Domus. 31
Papia humanissimè cum Cremona agit. 31

INDEX RERVM NOTABILIVM.

Papia Cremonam laudat. 31
Parthenia mater Iacobi Maynoldi laudatur 15
Parthenia eloquentissima. 15
Parthenia Latinè, & Græcè docta. 15
Parthenia à Gallarata famil. oriunda. 15
Parthenia religiosissima. 15
Parthenia virtutum omnium orbem absoluit. 15
Pater Iac. *M*aynold.Io Baptista vtroq; iure clarissimus. 14
Phaethontis Casus. 37
Pintia idest Valiadolid totius Hispaniæ nomine Illustrissimum Præsidem laudat. 28
Pompa affabrè describitur. 24
Præses Illustrissimus in litteratos liberalis, & benignus. 8
Præses *M*aynoldus celebratur. 22
Præsidis Illustriss. excellentia. 8
Præsidis Illustriss. pater laudatur. 14
Præsidis summa potestas. 20
Præsidis *M*aynoldi clementia. 22

Q

Quæstor Papiæ Iul.Turrianus omni bono Turris adaucta. 33

R

Rex Philippus Ant.*M*ar.Spel.Regiore cognoscit munere. 38

S

SCipiones. 27
Spelta mirificè ob Illustriss *M*aynoldi lętatur dignitatē. 7
Spelta se gratissimum ostendit. 9
Studia quid prosint. 20

V

VIrtus non habet pretium. 20
Virtus in ardua tendit. 23

F I N I S.

IACOBO MAYNOLDO
ILLVSTRISSIMO
MEDIOL. SENATVS
PRAESIDI

ET PATRIAE, ET PATERNAE
VIRTVTIS HAEREDI,
DOCTRINA NON MINVS
QVAM PROBITATE
RADIANTI
AD PVB. OMNIVM VTILITATEM
A
D. O. M.
IN
GRATITVDINIS ET OBSERVANTIAE
ADYTO

ANT. MAR. SPELTA

INCOLVMITATEM, SALVTEMQVE PERPETVAM
ROGANS, POSTVLANS, ET CONTENDENS
SE
TANTI VIRI GRATIAE, STVDIO, ET FAVORI
SVBMISSE,
ET MELIORE NOTA COMMENDAT.



Vt Patriam, vt mores, Genium
ſic nactus, & Artes.

Sonnet de Cesar le petit Laune de Bourges.

SVR L'OEVVRE DEDIEE EN L'HONNEVR DE

MON SEIGNEVR LE PRESIDENT MENOLDE

Par

LE SIEVR ANTOINE MARIE SPELTE

POETE ROYAL.

DE ? quel Cygne facond, quel Musical Orphee ?
Par accords tous diuins, par doulx chants charmesens,
Appesanti mon oeil, Enseueli mes sens
Dans le fleuue oubliux : dun Letheal Morphse.
Auries uous repasse la riue Acherontee ?
Le Cerbere portier, des Enfers pallissans
Flechissant au doux airs, de vos Phœbiques chants :
Vous Gregeois Escriuain, ou uous chantre d'Enee ?
Non, non. mais ton gazoiul, ton Aonide vers
Vn Menolde entonant, couuert de lauriers verds :
Ont Spelte peu causer, seuls ceste Epilepsie.
Menolde oeuure sacre, des estoiles manoirs
Qu'ont de leurs plus chers dons, les celestes pouuoirs
Orne : Spelte en son vers, tensante vne aultre vie.

Quatrain

Cent fois, le Macedon cent fois dit il: heureux
O Achille tu es rechante par Homere.
Plus heureux que cestui te diront nos Neueux
Menolde, te chantant, Spelte des Neufs seurs pere.